



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXXIV. De Scandalo nemini dando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCCXXIV.

*De Scandalo nemini dando.*

Matth. 18. v. 6. Marc. 9. v. 41.

**PUNCTUM I.** *Qui autem scandalizaverit unum de parvulis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. v. 6. Sicut Christus antè promissionem susceptionem parvuli præmiandam, velut sibi & Patri suo Cælesti factam; ita per oppositum minatus est, scandalum parvulo datum puniendum, non morte tantum temporali submersionis in aqua, quæ longè levior esset; sed æternâ, quæ tacitè hîc opponitur temporali. Ratio autem tanti supplicij est, tum magnitudo Amoris erga eum, qui scandalizatur; tum gravitas damni, quod per scandalum inferitur. Ex hac comminatione ergo perpende, quanto præmio digna sit parvulorum in Doctrina Christiana, litteris, & bonis moribus instructio, verbo & exemplo præstita. Verè enim talis, *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Quia autem Deus non tantum ætate parvulos, sed omnes homines diligit, ideo eadem est ratio boni & mali exempli ad præmium vel supplicium gravissimum promerendum. Itaque *luceat Lux vestra omnibus, qui in domo sunt, ut videant Opera vestra Bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Matth. 5. v. 16.

**PUNCT. II.** *Vae mundo à scandalis. Necessè est enim, ut veniant scandala.* v. 7. Agnosce in primis Beneficium eorum, qui à DEO ex mundo hoc, periculis & variis scanda-

scandalis pleno, ad Statum Religiosum vocati sunt, ubi Sodales præclaris Virtutum exemplis ad Perfectio- nem se mutuò impellunt. Deinde si necesse est, ut veniant scandala, & si neque Status Religiosus peni- tus immunis est, te ipsum firmo proposito contra ea præmuni, & dic (cum vera tamen Humilitate) *Si omnes scandalizati fuerint: sed non ego.* Marc. 14. v. 29. Firmis- simum etiam contra scandala præsidium tibi sint Exempla Christi & Sanctorum, perfectorumque ho- minum: utique enim malis exemplis prævalebunt bo- na, præsertim Christi, optimi Magistri & Ducis, qui est Via, Veritas, & Vita.

PUNCT. III. *Veruntamen væ homini, per quem scan- dalum venit.* v. 7. Etiam si enim necesse sit, ut veniant scandala, de nullo tamen homine necesse est, ut per illum veniant. Ne ergo tu sis homo ille: præsertim quia ratione Vocationis tuæ obligaris, non solum Sa- luti & Perfectioni propriæ Animæ cum Divina Gra- tia vacare, sed cum eadem impensè in Salutem & Perfectio- nem Proximorum incumbere. Considera etiam officium tuum, quo erga Proximum fungeris: considera vinculum Charitatis, quo ad bona exem- pla Fratibus danda obligaris. Noli ergo esse Sata- nas in Religione. Noli perdere Animam pretioso Christi Sanguine emptam. Vide, quanta pæna te maneret, si per te scandalum veniret.

